



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum
dierum Quadragesimæ

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066405

83. Considerando, quomodo in Passione Domini omnia Ecclesiæ
Sacramenta promanaverit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45427

deat homo ipso se sibi subiecto, sicut fruatur & lateatur idem homo, Deo sibi benignè familiari, & familiariter benigno.

Hunc igitur in modum Passio Christi Donorum fructuumque Spiritus, & speculum, & magistra, & largitrix est iis, quibus interiora eius patefcunt. Patefcunt autem illis, qui in Passione Domini, obstinatâ assiduitate erudiri laborant, & gaudent, in exaltatione Dei, in dilectione proximi, in vilificatione, & exinanitione & perditione sui, in odio peccati, in imitatione JESU Christi, propter JESUM, & hunc Crucifixum.

MODUS LXXXIII.

Octogesimus tertius Passionem Dominicam meditandi Modus esse potest; Considerare illam, quomodo omnia septem Sacramenta Ecclesie ab ea manant, efficaciamque omnem sumunt. Cum enim Passio Domini sit una & sola, & universalis medicina vulnerum, apotheca pharmacorum, balneum puritatis, debellatio & victoria hostium, armatura contra omne inimicorum genus, sacrificium pro peccatis, & holocaustum, mors vitiorum, vita virtutum, thesaurus meritorum, fons gratiarum, officina sanctificationis, resuscitatio mortuorum, conciliatio pacis, testamentum fœderis æterni, placatio Patris æterni, clavis cæli, jus ad beatitudinem æternam, & denique totum id, quicquid ad salutem nostram pertinet. Sacramenta autem sint totius Passionis hujus, omniumque in ea contentorum bonorum receptacula, & veluti gazophilacia ex quibus Ecclesia pro usu, necessita-

G:
B:
oper
TOT
N:
S:

cessitatibusque filiorum suorum depromat, ut incolumitatem, copiam, opulentiamque filiorum suorum promovere omni tempore, loco, occasione, possit. Manifestum est Sacramentorum virtutem omnem à Passione Christi esse.

Hoc autem multò etiam plenius affirmari & credi debet, de Sacratissimo Sacrificio Missæ, in quo non tantum est efficacia Passionis, ut in Sacramento esse diximus: sed est ipsamet Passio, ipsaque Christi realis oblatio, & immolatio, & ipse Christus in Persona sua, actu offertur à semetipso in illum eundem salutis nostræ finem, in quem super aram Crucis, in monte Calvario olim, oblatus fuit. Et quanquam etiam in Sacramento Eucharistiæ, realiter est Christus præsens totus: non est tamen ibi cum Sacrificatione oblativa sui, (estò per eam ibi constituatur) sed per solam præsentiam suam instar convivii, cibi, potusque ad nutrimentum animarum nostrarum.

His positis non est difficile pro meditati, pervidere omnia Sacramenta Ecclesiæ in Passione Christi, eorumque ex ea dimanationem, efficacitatis derivationem.

Baptismum esse in Passione, & ex Passione Domini satis constare potest vel ex eo, quòd illam Dominus ipse noster vocet Baptismum suum.

Baptismo (inquit) habeo baptisari, & quomodo coactor usque dum perficiatur? Er Petrus Apostolus cum dixisset, temporibus Noë per contemptibile lignum (Arcam scilicet) salvatas fuisse octo Animas à diluvio, mox subdit, etiam nunc fideles Christi per Baptisma simile illi Noëtico salvos fieri, alludens sine dubio, hanc similitudinem

Vid. supra
Modum 43.

Sap. 10. 4.
1. Petr. 3. 20.

nem inter Baptismum nostrum & diluuium Noë in eo esse, quod utrumque fieret per contemptibile lignum, nempe per Arcam ibi, hęc verò per Crucem Christi, quo satis ostendit Apostolus Baptismi virtutem, à Cruce & Passione Christi esse. Unde alius Apostolus, ait ad nos, per

1. Joan. 5. 6. aquam & sanguinem venisse Filium Dei.

Confirmationis Sacramentum etiam ex Christi Passione tum manare, tum vim suam desumere, ad baptifatorum Animas confirmandas, atque militiae Christi contra Carnem, Mundum, Diabolum authorandas, dubitari non potest.

2. Cor. 10. 4. Cum constet *Arma militiae nostrae non esse carnalia, sed spiritualia & esse potentia Deo: & insuper non*

Eph. 6. 12. tam esse contra carnem & sanguinem licet & contra hæc ambo, sed tamen primario adversus principatus & potestates, & adversus mundi Rectores tenebrarum harum. Istos autem hostes non posse debellari à nobis, nisi virtute Passionis & Crucis, Mortisque Christi; quâ scilicet & ab ipso Christo Domino Nostro sunt debellati, dicente ipso

Luc. 11. 21. Domino, quod cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet: cum autem fortior supervenerit, & vicerit eum, arma ejus & spolia, in quibus confidebat, auferet, & vasa ejus diripiet. Quod totum, à Christo Domino, diaboli, hunc mundum tyrannide prementes potestati factum est: debellatus est enim, victus, armis & spoliis fiduciae suæ privatus: & non per aliud nisi per Christi sanguinem, Crucem, vulnera, mortem. Exinde ergo etiam milites Christi robur sumunt, exinde athletæ unguuntur, & firmanur, arma Deo potentia, demonibus

S:
B:
oper:
TOT
N:
S:

formidanda accipiuntur, exinde unguuntur, exinde ad luctam idonei redduntur.

Eucharistiæ Sacramentum in quo ipse Christus totus realiter præfens est; non tantum ex Christi Passione vim suam sumit, sed ipsum, in se Passum Dominum, ipsam Passionem ejus, atque mortem, & repræsentat, & continet, & exhibet in Cibum, atque Potum, in saginationem atque impinguationem Animarum nostrarum, in vitam gratiæ sanctificantis, & in vitam quoque Gloriæ beatificantis. Unde optime filii Ecclesiæ canunt exultantes; O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Pœnitentiæ quoque Sacramentum, in quo est Medicina morborum vulnerumque nostrorum: non aliunde nisi ex sanguine morteque Christi. Sicut enim sanguis ille pro peccatis nostris fusus est; ita etiam eorundem peccatorum vulneribus idem sanguis unica medicina est. Quæ quia fuerunt ad mortem, ideo necesse fuit propter eorum sanationem ipsum unigenitum Dei occidi. Hoc Sacramentum exercuisse videtur Dominus noster in Latrone pœnitente, & scelera sua confitente. Ad exercitium quoque hujus Sacramenti potest pertinere videri, descensus Animæ Christi ad inferos, ubi animabus in purgatorio pœnas omnes indulgentia plenaria relaxavit, easque cum cæteris Sanctis participes beatitudinis fecit.

Ordinis Sacramentum, quemadmodum ad dispensationem, imò verò etiam ad consecrationem, & sacrficationem sanguinis atque Corporis

V. P. Druzb. Op. VIII.

Nn

ris

Handwritten marginal notes in a cursive script, including the words "Ecclesia", "Ascendit", "et", "V", and "8".

ris Christi, meritorumque illius, in totum Ecclesiam Christi corpus institutum est, ita nonnulli ex Passione atque Morte Christi potestatem, auctoritatem, efficaciamque habet; propter quod Dominus Jesus, etiam si pridie quam moreretur Sacramentum Ordinis instituit, ad ejusdem Passionis suae memoriale perenne: Memoriale autem non sterile & vacuum, sed cum repraesentatione ejus reali, atque actuali, sed cum quotidiana ejus restauratione atque repetitione: ita ut quod in die Parasceves cruento peractum est sacrificio in altari Crucis, à Summo Sacerdote Christo, hoc ab initiatis Sacramento Ordinis, fiat reverà, & actualiter quotidie in Ecclesia per sacrificium incruentum Altaris.

Matrimonii Sacramentum, ex sponso quoque sanguinum, hoc est ex Christi Incarnatione & Passione vim suam sumit. Imò verò ejus quaedam imago est: dicente Apostolo, quòd *Sacramentum hoc* (Matrimonii scilicet) *magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Sicut enim Christus sponsam suam Ecclesiam, & quæsiavit, & lavit in sanguine suo, *ut exhiberet eam sibi absque eruga & macula,* & sic sanguine suo sanctificatam atque dotatam, *sponsavit sibi in fide: verè sponsus sanguinum existens;* ita in virtute hujus desponsationis Christi & Ecclesiae, Christianum Matrimonium gloriam Sacramenti, & gratiam efficaciamque habet, ad filiorum Ecclesiae, fideliumque Christi propagationem, qui quamvis in peccato, etiam post Sacramentum nascuntur, virtute tamen Sacramenti jam tunc signantur ad gratiam, & adoptionem filiorum Dei, & ad filiorum Ecclesiae numerum communionemque desi-

G:
B:
oper:
JOM
N:
S:

designantur, propiori quodam jure, quo infidelium filii carent.

Unctionis extremæ Sacramentum, est quoque Passionis Christi fructus: quo Sacramento, & completur sanctificatio nostra, perfectioque ad Deum instruitur & peccatorum reliquæ abolentur, & Animæ pro ultimo cum hostibus nostris luctamine inunguntur, & corporum morbi (siita expedit) sanantur, certè alleviantur, & tolerabiliore infirmis fiunt. Hoc autem totum, virtus est Passionis & Mortis Christi, cujus sanguis, oleum est miserationis, & balsamum unctionis, & robur infirmitatis, & certaminis tessera, & omen extremæ victoriæ, & tutela transitus, ex hac vita, ad alteram æternam vitam.

Jacobi 15.

In hunc ergo modum in Passione Christi Sacramenta omnia considerare licet, & quomodo ex vulneribus Passi Jesu omnia promanent, virtutemque sumant, agnoscere. Non solum autem hoc, verum etiam si superiores modos meditando rectè expendimus, omnia quæ in Christiana vita, Christi que Ecclesia continentur, elucescere in Passione Domini advertimus, sive præcepta Decalogi, sive Consilia Evangelica, sive Opera Misericordiæ, sive virtutes Theologicas, atque Morales, sive Dona & Fructus Spiritus Sancti, sive Sacramenta septem, sive sacrificium omnis generis. ut verissimè affirmetur Christum; in sua, imò, suâ Passione genuisse, desponsasse, ornasse, & dotasse sibi Ecclesiam, cum omni illius, perfectione, sanctitate, & ornatu, prout ex prædictis, facile patet.

Nn 2 MODUS

Handwritten marginal notes in a cursive script, including the letters 'D', 'E', 'F', 'G', 'H', 'I', 'K', 'L', 'M', 'N', 'O', 'P', 'Q', 'R', 'S', 'T', 'U', 'V', 'X', 'Y', 'Z' and some numbers.